



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg.LV. de clausulis in benef. vacantibus ponendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

tunc sufficit levior probatio idem Farinac. d. decis. 550. p. 1. & decis. 455. nu. 8. ubi dicit beneficij valorem per non excessum probari per testes de publica voce & fama. Garcia de Ben p. 5. c. 3. num. 198. Ceterum advertè, valorem Canoniatum non egere justificatione: cum enim isti Canonici consistant in distributionibus, solent exprimi valoris 2. 4. Ducatorum, ut fuit resolutum coram R. P. D. Coccino in una Constantien. Canoniatu 14. Junij 1610. & in alia Ludien. & Paderborn.

E In stipendium) Idem adstruit Card. Tuschus pract. conclus. tom. 6. conclus. 99. Covar. tom. 1. par. 2. c. 6. §. 3. nu. 7. in fi.

F Vacat primum ipso iure) Vide quæ scripsi supra ad Reg. § 2.

G Non tenetur quis) Vide Gonzales ad Reg. Cancell. gl. 5. §. 5. nu. 15 16 17. & illi quibus in locis dissentientes diversorum opiniones affert & tandem conclusit pensionis non esse faciendam mentionem: cum enim, inquit, pensio non sit beneficium Ecclesiasticum, ut denuit Rota decis. xv. numero. 1. de prebend. in univ. Geminia. in c. non potest in pr. num. 5. de preb. in 6. & jura solummodo disponant quod narrentur obtenta beneficia, consequens est pensionis non esse faciendam mentionem; cum beneficium non sit; atque ita hodie servat Rota; quod tamen hæcenus intellige, dummodo pensio non sit assignata in titulum beneficij, puta quando alicui assignatur super fructibus alicujus Ecclesie, ut deinceps sit Ecclesiasticum beneficium: quia tum ejusmodi pensionis, illiusque valoris facienda erit mentio, cum verè sit Ecclesiasticum beneficium Gignas de pensio. q. 20. vers. Quarto limita & d. q. 67. nu. 1. & q. 99. nu. 22. in fi.

Argumenta in Regul. LXII. INNOCENTII VIII.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Hæc Regula præscribit modum faciendi suppl. pro beneficio vacante.</p> <p>2. Generalis reservatio dispositivè nunquam debet dari in Bulla, nisi in casibus hic expressis.</p> <p>3. Beneficia Officialium Sedis Apostolicæ sunt generaliter reservata.</p> <p>4. Etiam si exprimatür modus vacandi per Constit. execrabilis, vel per devolutionem cum clausula, quovis alio modo vacet, tunc non venit alia generalis reservatio,</p> | <p>5. Provisio, & nova provisio quid differant.</p> <p>6. Si petatur sacrogatio, vel gratia, sine ostri, vel si nulli, non debet dari nisi collatanti, & debet hoc specificari.</p> <p>7. Modus impetrandi beneficia reservata.</p> <p>8. Verba expressa quæ dicantur.</p> <p>9. Dictio pure in Regula quid designet.</p> <p>10. Beneficia officialium Papæ sunt generaliter reservata.</p> <p>11. Reservatio generalis non venit in rescripto Papæ nisi exprimatür.</p> <p>12. Reservationes hic expressæ non sunt generæ.</p> |
|---|---|

- generales in corpore juris clausa.
13. Bina iusſio Papæ per hat vel per cog-
ceſſum habetur pro motu proprio vel
pro certa ſcientia.
14. An hæc Regula ſit danda.
15. Diſcrimen novæ proviſionis à Perinde
valere in quo conſiſtat.
16. Eſſe ſtus gratiæ ſi neutri, & ſi nulli.
17. Gratiæ ſi neutri non datur poſt tres ſen-
tentias conformes, ſed bene ſi alteri.

18. Gratiæ ſi neutri concedi ſolet in præſen-
tationibus vel electionibus in quibus
prætenditur formam non eſſe ſervatam:
ideò his temporibus operæ pretium, eſt
ut in electionibus in quibus difficilius
forma Conc. Trid. obſervatur, obti-
neatur gratiæ ſi neutri.
19. Novæ proviſionis definitio.
20. Clauſula, ſive præmiſſo vel alio quovis
modo vacet expenditur.

Regula lxxii. Innocentij VIII.

DE CLAUSVLIS IN BENEFICIIS VACANTIBVS PONENDIS.

Item voluit & ordinavit quod quando providet, ſeu mandat
provideri alicui de beneficio Eccleſiaſtico vacante, tunc dari po-
terunt clauſulæ ſi putantur, etiam ſi illud quovis modo &c, ſeu per
Conſtit. Execrabilis vacet, ac ſpecialiter reſervatum inter aliquos
litigioſum ſit, & eius collatio devoluta fuerit; & ſi pro collitante
vel ſubrogationem, aut ſi neutri, vel ſi nulli &c, petere, ſi tunc ſpe-
cificè ſis exprimat. Nec detur aliqua generalis reſervatio diſpo-
ſitivè, niſi deſuper in conſeſſione ſpecialis & expreſſè, ac purè, &
non ſub conditione mentio fiat, & tunc reliquæ reſervationes in-
ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis litterarum,
generalis reſervatio huiusmodi probari non poſſit, aut in novis
proviſionibus, aut pro collitantibus, ſi neutri, vel ſi nulli &c: ſit
expreſſum quod ab aliquibus aſſeritur illum cuius beneficium cõ-
ceditur Collectorem, vel unicum Subcollectorem, Abbreviato-
rem, vel familiarem, Notarium, aut dictæ Sedis Officialem fuiſſe,
clauſula opponatur, Etiam ſi dictum beneficium ex eo quod talis
Collector, vel unicus Subcollector, Abbreviator, vel familiaris,
Notarius, aut dictæ Sedis Officialis, fuit diſpoſitioni Apoſtolicæ ge-
neraliter reſervatum exiſtat, dummodo non ſit in eo alicui ſpecia-
liter ius quæſitum. In reliquis verò nulla clauſula detur vnde re-

reservatio generalis elici possit, nisi de super signatura, per duplex fiat signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista Regula dicit quod quando Papa mandat alicui provideri, vel ipse providet de aliquo beneficio, quod si in supplicatione petatur quod conferatur quovis modo vacet sive per constitutionem Execrabilis, etiamsi alias reservatum sit, vel inter aliquos sit litigiosum, et si sit etiam devoluta collatio ad Sedem Apostolicam, omnes clausulae dantur. Item si petatur surrogatio pro colligante, vel si petatur gratia si neutri, vel si nulli, tunc datur si hoc specificè petatur. Item quod per clausulas predictas positas in supplicatione non datur aliqua generalis reservatio dispositivè, scilicet quod Papa providet impetranti de beneficio vacanti in curia &c: nisi fiat expressa mentio de tali reservatione, & non sub conditione, sed purè, & tunc datur generalis reservatio expressè, & etiam hoc casu reservationes contenta, prout superius est dictum, veniant etiamsi petantur sub conditione. Item dicitur quod si tempore expeditionis bullarum non possit generalis reservatio huiusmodi probari, tunc non debet dari clausula, per quam generalis reservatio elici possit, nisi exprimatur in nominis provisionibus, vel gratia si neutri, vel si nulli pro colligantibus, quod ab aliquibus asseritur illum cuius beneficium conceditur collectorem, vel subcollectorem, vel familiarem Papae, vel Cardinalis fuerit: quia tunc debet poni clausula etiamsi dictum beneficium ex quo quod talis collector vel subcollector, abbreviatur, vel familiaris Cardinalis fuerit dispositioni Apostolica generaliter reservatum existat, dummodo alicui non sit specialiter inquisitionum. Item quod predicta regula est vera nisi de super signatura per duplex fiat signata, vel per reformationem, vel aliter specialiter concedatur.

A Hoc dicit notanter ista regula, quia docet te facere supplicationes pro beneficio vacanti, sive per novam provisionem, sive per surrogationem, sive per gratiam si neutri, aut si nulli: & declarat tibi verba posita in supplicatione.

D Item dat modum faciendi minutam super tali supplicatione.

Item declarat tibi que est generalis reservatio melius quam decisio Rota, & melius quam Io. Mil. & ceteri Doctores.

Et colligitur hic una regula, scilicet quod generalis reservatio dispositivè nunquam debet dari in bulla, nisi in casibus hic expressis; & in hoc est hodie differentia inter specialem & generalem reservationem, alias quoad provisionem Papa quoad eum solus

folium pertineat, non ad alium inferiorem, nulla est differentia inter specialem & generalem, ut dicitur supra in secunda regula, sufficiat cap. si eo tempore de electione libro sexto. sed est differentia in hoc quod etiam si verba omnia hic posita narrarentur in aliqua bulla, tamen propterea non diceretur venire generalis reservatio ut hic.

Item colligitur hic alia regula quod etiam beneficia officialium Sedis Apostolica videlicet Collectorum & Subcollectorum, Abbreviatorum, item Familiarium Papae vel Cardinalium sunt generaliter reservata.

Item colligitur tertia regula hic, quod etiam si exprimat modus vacandi per constitutionem Execrabilis, vel per Devolutionem cum clausula, quovis alio modo vacet, tunc non venit alia generalis reservatio: sed si exprimitur generalis, & probatur, tunc etiam si aliquo modo vacet, vel beneficium sit reservatum, venit si exprimitur ut supra, alias non, ut hic, & ista subiungam, & declarabo.

Et primo pondero verbum ibi, quod non providet &c: ex quo apparet quod est differentia inter provisionem & novam provisionem: quia provisio est simplex de beneficio vacanti de iure, & de facto, & nova provisio praesupponit novum titulum, & est differentia quod ad infra dicenda, & ex verbis infra positis, ibi etiam si illud quovis modo &c: usq; ibi & si pro colligante &c: colligitur forma supplicationis: quia quotidie dicimus in supplicationibus expresso uno modo vacandi subiungimus, sive praemisso sive alio quovis modo &c: vacet, aut per Constitutionem Execrabilis, & alias generaliter vel specialiter reservatum, affectum, devolutum, litigiosum, & alia huiusmodi statum &c: exemplificat, etiam beneficium litigiosum inter alios potest impetrari, dicitur superius in regula de surrogatione, & plenius per gloss. & text. & Doctor. in cap. 1. & 11. ut lite pendens. lib. vi.

Item ibi, & si pro colligante &c: usq; ibi nec detur est ponderandum: quia si petatur surrogatio vel gratia sine utri, vel si nulli non debet dari nisi colliganti: & debet hoc specificari.

G Ego tamen vidi dari gratiam si nulli, alteri tertio non litiganti, qui narrabat litens fore inter talem & talem, & committebatur Auditori, quod si neutri litigantium vel nulli competeret ius in beneficio, quod conferret alteri tertio.

Et de hoc non est mirandum, quia si non tollitur ius quaesitum alteri litigantium, non facit sibi iniuriam qui utitur iure suo capitulo non Ecclesia de Electione.

Item pondero mihi verba, hic, ibi nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè nisi de super in concessione specialis, & expressè, ac purè, & non sub conditione &c: & pono exemplum: quia debet dici in supplicatione quod petitur tale beneficium quod vacavit per obitum talis Familiaris Papae &c:

Rrr 3

& tunc

Et tunc debet fieri bulla dispositiva, dicens: Providemus tibi de tali beneficio vacanti per obitum talis familiaris nostri cuius beneficium generaliter per nostram constitutionem reservavimus &c. & non debet dici si vacat per obitum talis &c. quia vacat ut dicitur &c. & intelligi verba expressa, quando specificantur in specie & non sub genere, ut vult gl. in c. si Episcopus de prabend. lib. vi. quam ibi not. Domin. & glo in cap. inquisitores de har. eod. lib.

Item expono pure id est simpliciter, sine plica: ita quod dicatur quod vacat per mortem talis, & non dicatur quod vacat ut dicitur, vel ut assertitur &c. facit glo. not. juncto text. in l. r. §. si quis simpliciter ff. de verb. obl. quam ibi not. Bart. & infert ea aliud bonum dicitur, & facit glo. juncto text. quam ibi not. Domin. & refert ad aliud in c. qui Episc. xx. ii. dist. & glo. in verbo simpliciter in cle. sapere de ver. sign. & per hec verba videtur colligi illa regula quam dixi supra, quod nulla generalis reservatio debet dari nisi specificetur. Unde si unus dicat quod vacat beneficium per obitum unius in curia, & non sit verum: tamen si poneretur ibi alia reservatio, qua sit vera, sed non est generalis, non veniret per hanc Regulam, quia debet esse pura &c.

Item nota in §. si vero ibi, collectorem &c. & ibi, dispositioni Apostolica generalis reservationem &c. quia hic colligitur quomodo Abbreviator debet se habere in bulla: & que verba debet dicere similibus casibus.

Item colligitur quod beneficia officialium sunt generaliter reservata: & ratio est, quia licet reservatio sit inducta per Regulam Cancellarie, tamen quia in ea dicitur quod generaliter Papa reservat, tunc illud verbum generaliter inducit reservationem generalem: & sic decis. Rota cccxxxiii. quae incipit. Item si mandatur mihi provideri, qua dicit quod specialis reservatio dicitur inducta per regulas cancellarie, & generalis per extrayag. ad regimen &c. non bene dicitur salva correctione, quia si Regula Cancell. dicit quod generaliter reservavit &c. & tunc est generalis: alias habet locum decisio si simpliciter loquitur vel dicit, quod specialiter reservavit.

Sed unum dico hic, quod in iure communi non reperitur cautum, quod de generali reservatione debet fieri mentio, quia satis est quod pertinet ad collatio ad Papam, tamen a regulis Cancellarie est inductum quod generalis reservatio non veniat nisi exprimat: hoc sentit illa decisio, & sic ista Regula declarat melius quam dec. supr. dicta quid sit reservatio generalis, nec Io. de Milis in verbo reservatio. scribit hoc tangere, nec Domin. in c. si. §. in prab. de consuet. lib. vi. de quo aliquid dixi superius in regula. & in II. nam iste reservationes hic expresse non sunt generales in corpore iuris clause, in quo iure non est nisi unica, scilicet quando vacat in curia vel infra duas dietas c. ii. et c. presentis de prab. lib. vi. nec in extrayaganti ad regimen: quia illa constitutio exprimit per obitum Benedicti Papae per sinem illius ut dixi in regula prima: ergo sequitur quod iste reservationes sunt generales inducte per regulas Cancellarie, quando in eis dicitur quod generaliter Papa reservat &c.

Item ponderanda sunt verba hic, ibi, nisi desuper signatura per duplex fiat &c. & vult

vult dicere ista regula quod in corpore supra petatur & Papa dicat fiat, & infra positus etiam petatur, & Papa ibi dicat fiat, & ratio est, quia iustus binus Principis habetur pro motu proprio vel pro certa scientia l. nec damnosa & ibi Bal. C. de preci. imper. c. ff. 13 & ex hoc oritur practica, quia dicimus in supplicatione & alias generaliter vel specialiter reservat & c. & postea in clausulis ponimus & cum clausula generalem reservationem importat. & c. & non debet in expeditione exprimi ut supra in hac regula dicitur, & pleriq; illam clausulam non intelligunt.

Item quod dicitur hic per duplex fiat, idem intelligas de duplici signatura per concessum id est per illum cui Papa commisit signaturam arg. l. item eorum §. 11. ff. quod cuiusque uni. & ita practicat Cancellaria: & pondero hic quod reformatio & signatura in clausulis equiparantur, Nec obstat glo. in simili in c. suam de appel. & in l. si conuenit la. 1. ff. de pign. actio. & ista regula esset danda, licet concernat expeditionem¹⁴ que valet in intellectum generalis reservationis, nescio tamen si daretur hodie, quia non memini me vidisse.

COMMENTARIA JO. A CHOKIER.

Docet te facere supplicationes) Vide Flam. Paris. tract. de Resign. benef. lib. 3. quest. 7. ubi varias supplicationum formas adducit.

Sive per novam provisionem) Effectum novæ provisionis vide apud Rebuff. in¹⁵ praxi tit. de nova provisione, discrimen autem novæ provisionis, & Perinde valere in eo consistit, quod illa detur quando subest defectus in collatione facta ab alio quam à Papa: Istud autem datur, quando Papa confirmat gratiam suam aliqua ex parte invalidam, Rebuff. in praxi initio partis 2. nu. 3.

Sive per subrogationem) Consule Rebuff. tit. de subrogationibus per tot. & quæ dicta sunt, supra ad Reg. 27. de surrogandis Collitigantibus.

Sive per gratiam si neutri si nulli) Notent Juniores per gratiam si neutri acqui-¹⁶ ri beneficium quando neuter litigantium super illo jus habet; quod bifariam fieri potest: primo dirigendo gratiam seu rescriptum Episcopo vel alteri cui Papa mandat, ut si per eventum litis ejusmodi constiterit neutrum dictorum litigantium in dicto beneficio jus habere & idem beneficiū, ut præmittitur vacare, & tempore data præsentium non sit in eo jus alicui specialiter acquisitum cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem N. auctoritate nostra conferas & assignare procures, inducens & c. Secundo quando Papa ipsemet confert si neutri litigantium sit ius questum, & hoc est tutius, & postea petit in iudicio recipi in partem, & recipitur. Rescriptū verò si nulli, dicitur quando sunt tres vel plures nullum jus habentes, & super eo de beneficio litigantes & providetur à Papa tertio de tali beneficio: quod demum habet locum quando illud est litigiosum; vel quando partes essent pares in data, & se impedirent per concursum, nisi tamen

tamen in gratia alterius esset clausula gratificationis. Interea adverte quod gratia si neutri non datur post tres sententias victo, sed potest dari rescriptum si alteri, videlicet si victori jus non competit, eidem victo conferatur, quo casu is non poterit ius antiquum deducere, sed novum tantum, ut pote hæreticum, vel simoniam quam victus nesciebat, & si illam probet illam obtinebit, alias opponetur exceptio rei iudicatæ per tot. tit. de except. rei jud. Deniq; solet concedi gratia si neutri in præsentationibus, vel electionibus in quibus prætenditur formam non esse servatam: & hodie in electionibus in quibus exacte vix servari potest forma Concilii Trid. operæ pretium est, ut electus impetret gratiam hanc si neutri. Plura hæc de re videantur apud Rebuff. in praxi in 1. p. signat ubi latius hæc deducit & explicat.

- E** Generalis reservatio) Huc faciunt quæ dicta sunt supra ad Reg. 2.
- F** Et nova provisio præsupponit) Nova provisio definitur, ut sit Pape provisio ad alterius iam factæ ab alio confirmationem, probatur in c. post electionem de concess. præb. & est nova & prima provisio, inquit Rebuff. in praxi de Nova provisione, quoad Papam, quia de recenti ipse confert, quamvis collatio, præsentatio, electio, ab alijs antea facta fuisset; sed impetrans eam provisionem &c. dubitabat viribus non subsistere DD. in d. c. post electionem. Neque enim datur nova provisio nisi in dubio validitatis prioris provisionis, ut notat Rebuff. ubi supra. Quod si Papa prouiderit fortè inutiliter, tum non datur nova provisio, sed gratia Perinde valere, ut nimirum perinde valeat talis provisio ac si ritè & temporis facta fuisset, nam Papa potest fingere expressum quod in primis litteris non est expressum Flam. Paris. cons. 44. vol. 4. de qua gratia Perinde vide quæ late scribit Rebuff. in praxi, initio partis secunde. Sed hæc dicta sint obiter in gratiam juniorum.
- G** Sive præmissio, sive alio) Regulariter expressio uno modo vacandi, non venit alius c. susceptum de Rescript. in 6. Idèd solet apponi clausula memorata sive præmissio, sive alio quovis modo &c. per quam includitur omnis modus vacandi, sive directus, sive indirectus, etiam accessorius ex intentione concedentis, dummodo ex persona expressa & nominata in gratia vacet, gl. Gemina. Imo. in d. c. susceptum Lopus alleg. 79. nu. 2. Card. Paris. cons. 33. nu. 20. lib. 3. Cassad. dec. 5. de Præb. si tamen esset adjecta clausula ex alterius & cuiuscumq; persona vacet. includeretur etiam modus vacandi per extraneam personam Flam. Paris. de Resig. lib. 2. q. 7. nu. 136. Vnde infertur si beneficium vacet per obitum, ut quia resignans obijisset, poterit illud resignatarius capere Put. decis. 280 lib. 2. nu. 11. Secundo infertur, quod si alius impetrans verum expresserit modum, non præferretur isti si posterior fuerit, Rebuff. in praxi tit. forma signature num. 6. & 7. ubi limitat nisi unus vacandi modus tantum esset expressus in bulla, & in executorijs litteris, de clau.

de clausa quovis modo: quia per hoc non veniret alius modus, quam in bulla expressus, quia litteræ executoriæ non ampliant gratiam text. & ibi DD. in cle. 1. in fin de Prabend.

Tertio non litiganti) Hoc quotidie fieri in Francia notat Rebuff. in praxi tit. de Rescript. si neutri nu. 10.

Beneficia Officialium) Huc refer quæ scripsi supra ad reg. VI.

Habetur pro motu proprio) Idem adstruit noster Auctor, supra ad regu: 45. Non valeat impetratio &c.

Argumenta in Reg. LXIII. INNOCENTII VIII.

- | | |
|---|---|
| <p>1. Dignitas Curata vel electiva exprimi debet in impetrationibus alias gratia est subreptitia.</p> <p>2. Papa ubi manus apposuit, Cancellaria non debet se intromittere.</p> <p>3. Cautela, cum bulla transivit per Cameram.</p> <p>4. Hæc Reg. est de dandis.</p> <p>5. An hæc Regula locum habeat in provisione facta motu proprio.</p> <p>6. An clausula quod major specificatio in confessione litterarum fieri possit, faciat ut cancell. possit exprimere qualitates non expressas in supplicatione.</p> <p>7. Stylus Curie Rom. servandus est.</p> <p>8. Qualitates inducuntur à jure vel stylo Ro. Cu. si ommittantur viciant gratiam.</p> | <p>9. Major idoneitas requiritur in Cura quam in aliis beneficiis.</p> <p>10. Perinde valere super eo quod fuit expressum capellaniam, vel dignitatem esse sine cura cum tamen haberet annexam curam animarum.</p> <p>11. Exprimere non est necesse qualitates quæ insunt beneficio de jure communi.</p> <p>12. Valet impetratio de Regulari beneficio non expresso quod sit manuale.</p> <p>13. Non est faciendæ mentio qualitatum quæ non considerantur à jure vel stylo.</p> <p>14. Precista non tenetur exprimere qualitates beneficiorum quæ possidet.</p> <p>15. Pensionarius impetrans beneficium tenetur pensionis quam habet in alio beneficio mentionem facere.</p> |
|---|---|

Regula LXIII. Innocentij VIII.

DE EXPRESSIONE QUALITATVM BENEFICIORVM IN IMPETRATIONIBVS.

Item voluit quod super beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, personatus, vel officia sint. eisq;

Sss cura